I. N. J.

# Theses,

quas

Affulgente Divina gratia

et

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro

Examine Pastorali

miti bonorum censuræ

modeste offert


CAROLUS FR. ELMLUND,

V. D. M.


Die XXIV Aprilis MDCCCXXXIII.

---


LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Vox Hebræa נָבִיא pluribus quidem Scripturæ Sacræ locis *vatem futura præsagientem*, nonnullis vero *alienæ mentis interpretem* indicat.

Th. II.

Voce Hebræa תּוֹרָה, latius sumta, non solum Mosis, sed simul aliorum Veteris Testamenti scriptorum libri comprehenduntur. Generatim itaque hæc vox Hebræa in *Veteri Testamento*, sicut Græca *νομος* passim in *Novo*, omnem doctrinam Judæis divinitus traditam significat.

Th. III.

Vocabulum עוֹלָם, sicut *Αιων* et *Αιωνιος*, in Bibliis Sacris frequens, non semper æternitatem proprie sic dictam, sed interdum non nisi longum temporis spatium innuit.

Th. IV.

Cum Jesus Matth. 12: 31, 32, dicit eorum, qui Eum miracula patrantem viderent, peccatum *in sanctum* (*per Eum agentem*) *spiritum*, vel *in divinam* (*qua agebat*) *vim* (*κατα του πνευματος του αγιου*) non remitti *ουτε εν τουτω τω αιωνι, ουτε εν τω μελλοντι*; ex his postremis verbis minime colligere licet Catholicorum doctrinam de Purgatorio, aut quorumdam nostri temporis Lutheranorum doctrinam de statu quodam intermedio, quem Hadem dicunt, veram esse.

Th. V.

In explicando Luc. 7: 47, non ea ponenda est Caussæ et Effectus ratio, quam exhibet Novi Test. versio Svecana, in qua amor caussa remissionis diserte dicitur, cum contrarium potius dicen-

dum sit, et Jesu verba, secundum Grammaticam et fidei analogiam, interpretanda: *ei multa peccata remissa sunt* (Caussa) *ideo multum amat* (Effectus); vel, ut paraphrasi utamur: *multa ejus peccata, (ob quæ eam spernis), ei a Deo jam remissa esse, ex eo, quod me tanto amore tantoque referendæ gratiæ studio prosequitur, intelligere potes.*

## Th. VI.

Etsi concedamus solo versu 16:to Cap. 3, Ep. ad Tim. 2, non exhiberi Veteris Test. Theopneustiæ certum testimonium, contendere nulli dubitamus tale testimonium hoc citato versu et proxime præcedenti, conjunctim sumtis, contineri.

## Th. VII.

Matth. 19: 24, ubi Jesus dicit: ευκοπωτερον εςι καμηλον (*camelum*, vel, ut nonnulli vertunt, *funem nauticum*) δια τρυπηματος ραφιδος διελθειν, η πλουσιον εις την βασιλειαν του Θεου εισελθειν, non docet divites nullo pacto salvos evadere posse, sed tantum eos non nisi difficillime perduci, ut vera conversione amorem terrestrium bonorum relinquant, et se regni Dei (vel Gratiæ) veros cives reddi sinant.

## Th. VIII.

Apostoli Pauli dictum 1 Cor. 1: 12, 13, collatum cum 1 Cor. 3: 4, sqq., tam diserte sectarum studium, vel fiduciam in hominibus positam, relicto ipso Domino nostro, dehortatur, ut, cur multi nostro quoque tempore credant se, assumtis nominibus et ritibus, a ceteris omnibus societatis Christianæ membris quasi disjungi debere, intelligere nequeam.

## Th. IX.

Emendatio hominis et a rationis illuminatione et a voluntatis ad bonum revocatione proficisci debet. Unde sequitur ad improbanda concionandi genera referendum esse id, quo altera earum rerum negligitur, ita ut aut altiora tantum dogmata rationi proponantur, quo magna doctrina ostentetur, aut oratio adhibeatur, quæ sensus tantum moveat, et lacrimas eorum, qui audiunt, eliciat, quæ sæpe nec ad auditores edocendos, nec ad seriam meditationem commovendam valet.